Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



160

fiat mysteriorum quae phea significantur contuitum imaginis. Dicit ergo ab
oriente ad partibus iudae et mare salsum. et post hoc in parte eius
nominatur fons solis et ciuitas solis. et in eadem tribu et eadem ciuitas lit
terarum. Oportet igitur omnem qui uult introire in partem filiorum iuda.
transire prius mare salsum uitae. scilicet huius mundi undas et turbines
superare et euadere omnia quae in hoc mundo pro certo sunt et lubrico.
marinis fluctibus comparantur: ut possit ad iudae terram peruenire.
et ad fontem solis accedere. Quis autem fons est solis: ut cui solis. Illius
sine dubio. de quo scriptum est. Timentibus autem nomen meum oriet
sol iustitiae. Huius ergo solis si prius euaseris mare salsum. fontem inuenis
et in terra iudae. Quem fontem. Illum profecto. de quo dicebat ihe. Qui autem
biberit de aqua quam ego dabo ei. fiet in eo fons aquae salientis in
uitam aeternam. Huius igitur solis cum tale quale diximus inueneris fon
tem inuenies etiam ciuitatem eius. Est enim in quit ibi et ciuitas solis. Dr
et in egypto ciuitas solis. S; ista ciuitas quae in egypto est huius solis
nomen accepit. quem pater celestis oriri iubet super bonos et malos.
illa autem ciuitas quae in iudea est. sanctorum tantummodo. quia ciuitas dei est.
et fons ille de quo superius diximus. fluuius effectus letificat ciui
tatem dei. S; et tu si ex omni parte munitus sis. et comunitate muro
circumdatus sapientiae et magnanimitatis turribus confirmatus es etiam
tu efficieris ciuitas dei. Sed ad haec omnia adiecieris tibi scientiae lumen.
sicut dicit esayas. inluminate uobis lumen scientiae et si sol te iustitiae
radiauerit. efficieris etiam tu ciuitas solis. ut ciuitatem solis sortem he
reditatis accipies. S; et si te tradideris legi dei. et in ipsa meditabe
ris die ac nocte et non recesserit liber legis de manu tua sicut dicit
ad iesu. et si memor sis praecepti saluatoris in quo dicit. perscrutamini
scripturas. si ergo talibus te studus mancipaueris. et eruditionem
legis diuinae ut legendo ut laudando obtinueris. tuae portionis
efficietur ciuitas litterarum. Et haec quidem nos pro possibilitate sensus